

## Werk

**Titel:** Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici Parisiensis De Sibylla  
**Untertitel:** Libri tres  
**Autor:** Petitus, Petrus  
**Verlag:** Lankisch; Guntherus  
**Ort:** Lipsiae; Lipsiae  
**Jahr:** 1686  
**Kollektion:** VD17-Mainstream  
**Gattung:** Altertumskunde  
**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
**Werk Id:** PPN737373385  
**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN737373385>  
**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=737373385>  
**LOG Id:** LOG\_0003  
**LOG Titel:** Calrissimo Viro Friderico Benedicto Carpzovio Petrus Petitus.  
**LOG Typ:** dedication

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.


Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)



*Clarissimo Viro*  
**FRIDERICO BENE-**  
**DICTO CARPZOVIO**  
*Petrus Petitus*  
S. P. D.

I quisquam erit, *Vir celeberrime*, qui admiretur,  
me hominem apud Gallos Luteciæ natum, neque  
aliter fere tibi quam tenui  
famæ aurâ, quorumdam & amicorum  
prædicatione cognitum, nunc abs te etiam longinquis regionibus præsidium  
meis Musis querere, ac lucem a Lipsia  
petere; desinet profecto mirari, cum  
quæ me, ut id consilii caperem, impulerit causa intelliget. Quin istud, sat scio,  
consilium meum probabit, dignumque  
homine ingenuo & liberali iudicabit.  
An hoc adeo mirandum est, si, quam of-

## DEDICATIO.

fiosissima humanitate tua viam studi-  
osis omnibus ad bene de literis meren-  
dum aperis, eam mihi nunchuique libri,  
quem tibi offero, dedicatione insistere  
visum est: Cum præsertim te ipsum incre-  
dibili incensum amore literarum intelli-  
gam, nec ullis negotiorum curis impedi-  
ri posse, quo minus ad libros interim re-  
curras, quos subinde etiam a remotis  
vnde cumque locis ad te mandas perfer-  
ri, ne quid uspiam in republica litera-  
ria noui geratur, quod tuam sciendi cu-  
piditatem prætereat. Itaque mirum vi-  
deri non debet, si tantum eruditionis  
consecutus es, quantum in hominem  
occupatum cadere posse vix quisquam  
credat. Te sane non esse unum e  
multis, antea ex doctorum virorum,  
quibus familiariter vtor, prædicatione  
cognoueram; nonnulla ipse Græco &  
Latino sermone abs te perscripta vide-  
ram, ex quibus iudicare licuit, quid in li-  
teris præstare possis, si tibi maius otium

*DEDICATIO.*

ad eas excolendas aliquando contingat: cum ne in illo quidem negotiorum æstu, partim publicorum, quibus cum dignitate in patria præses, partim domesticorum, quibus magnifice rem familiarem auges atque amplificas, temperare possis, quin ad nostras subinde tuasque artes respicias, quantumque in iis profereris ostendas. Quæ cum vitæ tuæ decora quemuis ad te amandum impellere possint, non tamen, ut verum fatear, his adduci potuisse, ut te statim ignotus literis meis interpellarem, nisi **ÆGIDIVS MENAGIVS**, vir illustris, & probitatis mihi longo vsu perspectæ, me revercundia cunctantem pulsare fores amicitiæ tuæ, eo perpulisset. Nam cum illi indicasset, me librum composuisse de Sibylla, mox in lucem, si occasio eius edendi daretur, emittendum; non distulit homo amicissimus, quin statim ad te de me & eo libro scriberet. Quo pacto mihi plane occasionem dedit, immo

*DEDICATIO.*

necessitatem imposuit, literas quam primum ad te mittendi gratiarum agenda-  
rum causa; cum te libenter eius libri  
editionem amplecti, ac tibi curæ fore,  
verbis officiosissimis pollicitus fuisses.  
Ne mireris igitur, quod amicitiæ tuæ fo-  
res hoc scripto pulsem: si tamen nunc  
pulsandæ sunt, quas pridem mihi offici-  
osissimis literis aperuisti. Quo maior  
me spes tenet, non fore tibi ingratam,  
quam tibi dedico, lucubrationem no-  
uam de Sibylla: si præsertim hanc, non  
ex ipsius merito, sed ex auctoris affectu  
æstimes. Quod ut facias, meque in tuo-  
rum numero habeas, rogo. Faxit Deus,  
optimus maximus, ut qui nunc liber tuo  
beneficio in lucem prodit, in longum  
tempus ea luce, quam illi dedisti, tuo  
patrocinio fruatur. Vale. Ex Museo  
nostro, Luteciæ Parisiorum, Idibus  
Octobris, anni instaura-  
tæ salutis 1683.